

CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM
DE SACRA LITURGIA

NOTITIAE

36

DECEMBRI 1967



CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

NOTITIAE

Commentarii ad nuntia
de re liturgica edenda cura
Consilii
ad exsequendam Constitutionem
de sacra Liturgia

« Notitiae » prodibunt semel in mense. Libenter, iudicio Directionis, nuntium dabitur Actorum, inceptuum, editionum in re liturgica, praesertim e Coetibus Episcoporum vel Commissionibus liturgicis nationalibus emanantium, si scriptorum vel periodicorum exemplar missum fuerit.

Directio: Commentarii sedem habent in Civitate Vaticana, Palazzo S. Marta, ad quam transmittenda sunt epistolae, char-
tulae, manuscripta, his verbis inscripta:
NOTITIAE, Città del Vaticano

Administratio autem residet apud
Libreria Editrice Vaticana
Città del Vaticano

Pro commentariis sunt in annum solvendae:
in Italia lit. 2.000
extra Italiam lit. 3.000 (\$ 5)
singuli fasciculi veneunt:
lit. 200 (\$ 0,35)
Pro annis praecedentibus
singula volumina: lit. 4.000 (\$ 7)
id. linteo contexta: lit. 5.000 (\$ 8,40)
singuli fasciculi lit. 400 (\$ 0,70)

★

Libreria Editrice Vaticana
C.c.p. N. 1-16722

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

36

Vol. 3 (1967), n. 9

SUMMARIUM

Antonius Hänggi, Episcopus Basileensis	409
<i>Acta Consilii</i>	
Nona Sessio « Consilii » . . .	410
Summarium Decretorum quibus deliberationes Coetuum Episcoporum confirmantur .	418
Decreta quibus confirmantur interpretationes populares Canonis Romani	423
Summarium Decretorum quibus confirmantur interpretationes populares Proprium Religiosorum	425
Decreta quibus Ordo lectionum per ferias conceditur .	426
Adunationes Coetuum a studiis	427
<i>Sacra Congregatio Rituum</i>	
<i>Declaratio</i>	428
<i>Studia</i>	
La proclamation du Canon en français	429
<i>Nuntia</i>	
USA: The 1967 Liturgical Week	432
<i>Bibliographica</i>	433
<i>Index voluminis III (1967)</i> . .	435
I. Acta Summi Pontificis	435
II. Acta « Consilii » . . .	435
III. Sacra Congregatio Rituum	436
IV. Sacra Congregatio de Religiosis	436
V. Conferentiae Episcopales	437
VI. Familiae Religiosae .	446
VII. Celebrationes particulares	447
VIII. Varia	447
IX. Studia	447
X. Chronica	447
XI. Documentorum explanatio	448
XII. Bibliographica . . .	448

SOMMAIRE

Neuvième Session du « Consilium » (p. 410)

Du 21 au 28 novembre 1967, le « Consilium » a tenu sa neuvième assemblée plénière, précédée de la réunion des Relateurs et des Secrétaires des groupes de travail. On y a particulièrement examiné les « modi », les observations et les désirs exprimés au Synode des évêques, spécialement sur la Messe et sur l'Office divin. Le « Consilium » a ensuite achevé le schéma sur le Mariage avec l'examen du rite du Mariage « extra Missam ». On a à peu près terminé aussi le « corpus » des préfaces; en outre ont été présentés pour la première fois les schémas sur la Confirmation, la Consécration des vierges, les prières pour Laudes et Vêpres.

Proclamation du Canon en langue vivante (p. 429)

Une étude présentée dans le Bulletin de la Commission Liturgique Canadienne, suggère quelques normes pour que la proclamation du Canon en français soit faite avec dignité et édification des fidèles. Le but de la langue vivante dans le Canon est, en effet, que l'assemblée comprenne le texte prononcé par le prêtre. Ce texte est à la fois riche et complexe. Il revient au célébrant de rendre la proclamation vivante et intelligible, en faisant ressortir les différentes parties du texte, en évitant la monotonie et la précipitation comme aussi une lenteur excessive.

Divers

Le nouvel évêque de Bâle. Le « Consilium » s'associe à la joie du diocèse de Bâle pour l'élection de son consultant, le Professeur Antoine Hänggi, comme évêque de cette ville.

La semaine liturgique nationale des Etats-Unis a connu cette année une participation exceptionnelle: 10.000 participants. Thème: « Expériences en Communauté ».

En outre, on trouvera dans ce numéro une revue bibliographique des livres envoyés à la rédaction (p. 433), l'annonce des réunions des groupes de travail (p. 427) et la table de l'année 1967.

SUMARIO

Nona Sesión del « Consilium » (p. 410)

Del 21 al 28 de noviembre de 1967 tuvo lugar la nona Sesión plenaria del « Consilium », precedida por la reunión de los Relatores y de los Secretarios de los Grupos de estudio. Fueron examinados con particular atención los « modos », las observaciones y los deseos formulados por los Padres del Sínodo de los Obispos, especialmente los referentes a la Misa y al Oficio divino. El « Consilium » completó además el esquema sobre el Matrimonio con el estudio del rito de las nupcias « extra Missam ». Se examinó también la colección o serie de prefacios que está casi terminada; en cambio los esquemas sobre el sacramento de la Confirmación, sobre la Consagración de las Vírgenes y sobre las preces a Laudes y Vísperas fueron presentados por primera vez.

Proclamación del Canon en las lenguas vivas (p. 429)

Un estudio debido a la Comisión Litúrgica Canadiense sugiere algunas normas para que la recitación del Canon en francés resulte digna y obtenga la edificación de los fieles. En efecto la finalidad del uso de la lengua vernácula en el Canon no es otra que permitir a la Asamblea la comprensión del texto pronunciado por el sacerdote. Dicho texto es rico y complejo a la vez. Depende del celebrante lograr una proclamación viva e inteligente, que ponga de relieve las diferentes partes, de modo que se eviten la monotonía, la precipitación como también la excesiva lentitud.

Varias

El nuevo obispo de Basilea. El « Consilium » se asocia al gozo de la Diócesis de Basilea por la elección de uno de sus Consultores, el Prof. Antonio Hänggi, a obispo de dicha ciudad.

La Semana Litúrgica Nacional de los Estados Unidos ha reunido un número excepcional de participantes: diez mil. Tema: « Experiments in Community ».

Este fascículo contiene además la reseña bibliográfica de las obras enviadas a la redacción (p. 433); noticias sobre las próximas reuniones de los Grupos de estudio (p. 427) y el índice del año 1967.

SUMMARY

Ninth Session of the « Consilium » (p. 410)

Following a meeting of the Relators and Secretaries of the study groups, the ninth plenary session of the « Consilium » took place November 21-28, 1967. The special topic for consideration was the "modi," observations and desires expressed by the Synod of Bishops, particularly in regard to the Mass and Divine Office. The "Consilium" then finished the schema on Matrimony, with an examination of the Rite of Matrimony outside of Mass. The "body" of Prefaces was practically completed; the schemata on Confirmation, on the Consecration of Virgins, and on the prayers for Lauds and Vespers were presented for the first time.

Proclamation of the Canon in the vernacular (p. 429)

A study presented by the Newsletter of the Canadian Liturgical Commission suggests certain norms so that the recitation of the Canon in French may be done with dignity and edification for the faithful. The purpose of using the vernacular for the Canon is precisely so that the assembly can understand the text spoken by the priest. However this text is both rich and complicated. The celebrant, therefore, has the responsibility of making the proclamation come alive; he makes it understandable by emphasizing various parts and by avoiding a monotone, as well as a hurrid or extremely slow articulation.

Varia

The new bishop of "Basel": The "Consilium" shares in the joy of the diocese of Basilea in the election of one of its "Consultors", Prof. Anthony Hänggi, as bishop of that city.

The National Liturgical Week of the United States witnessed a tremendous attendance of 10,000 participants this year. Theme: "Experiments in Community".

This issue also includes a bibliography of revised books (p. 433), the announcement of the meetings of the study groups (p. 427), and an index for 1967.

ZUSAMMENFASSUNG

9. Sitzungesperiode des Consiliums (S. 410)

In der Zeit vom 21. bis 28. November 1967 fand die 9. Vollversammlung des Consiliums statt, der eine Zusammenkunft der Relatoren und Sekretäre der einzelnen Studiengruppen voranging. Im Mittelpunkt der Diskussionen standen die Modi, Bemerkungen und Wünsche der Bischofssynode, besonders in Bezug auf Messe und Officium divinum. Weiters schloss das Consilium das Schema « De Matrimonio » mit dem Ritus der Trauung ohne Messfeier ab. Fast abgeschlossen ist auch die Sammlung der Präfationen, während die Schemata über die Firmung, die Jungfrauenweihe und die Preces von Laudes und Vesper erstmals vorgelegt wurden.

Verkündigung des Kanons in der Muttersprache (S. 429)

In einer Untersuchung, die vom Bulletin der Liturgischen Kommission Kanadas vorgelegt wurde, werden einige Normen empfohlen, um einen würdigen Vollzug der Rezitation des Kanons in französischer Sprache zu gewährleisten. Sinn der Verwendung der Muttersprache im Kanon ist doch, der Gemeinde den vom Priester zu verkündigenden Text, der reich und zugleich schwierig ist, verständlich zu machen. Es liegt am Priester, dass die Verkündigung in lebendiger und ansprechender Weise erfolge, sodass die einzelnen Abschnitte erkennbar werden und Monotonie, wie auch Hast oder übertriebene Langsamkeit vermieden werden.

Verschiedenes

Neuer Bischof für die Diözese Basel. Das Consilium schliesst sich der Freude der Diözese Basel über die Wahl eines seiner Konsultoren, Professor Anton Hänggi zum Bischof dieser Stadt an.

Die nationale liturgische Woche der USA verzeichnete dieses Jahr eine ausserordentlich starke Beteiligung von 10.000 Teilnehmern. Thema der Tagung war « Experimente in Gemeinden ».

Weiters enthält die vorliegende Nummer eine Bibliographie der an die Redaktion eingesandten Bücher (S. 433), Hinweise auf die Sitzungen der Studiengruppen (S. 427) sowie das Inhaltsverzeichnis für den Jahrgang 1967.



ANTONIUS HÄNGGI
Consultor « Consilii »
Episcopus electus Basileensis

ANTONIUS HÄNGGI

Episcopus Basileensis

Rev.mus DD. Antonius Hänggi, Professor in Universitate Friburgi Helvetiorum, electus est Episcopus Basileensis.

Prof. Hänggi ortum habuit in *Nunningen* (*Soleure*, Helvetia), die 15 ianuarii 1917. Studia secundaria peregit in Gallia et in Helvetia, theologica vero Lucernae, Romae (in Pont. Athenaeo « Angelicum ») et in Seminario maiori de *Soleure*. Sacerdotio initiatus est anno 1941.

Per tres annos vicarius exstitit in paroecia de *Brougg*. Anno vero 1944 missus est ad Universitatem Friburgensem deinde Romam ad Pont. Instituta Archeologiae christianae et Orientalium studiorum, tandem Parisios. Anno 1947 doctor renunciatus est in Universitate Friburgensi.

Tunc ad ministerium pastorale rediit, vicarius prius, dein parochus in *Kriegstetten* (*Soleure*), usque ad annum 1954, cum in Universitate Friburgensi sacrae Liturgiae professor renunciatus est.

Prof. Hänggi inde ab anno 1959, nempe a constitutione Commissionis praeparatoriae Concilii Vaticani II, ad nostram familiam pertinet. In « Consilio », nominatus est Consultor, die 22 februarii 1964 et munus accepit Secretarii Coetus X, cui commissa est instauratio Ordinis Missae. Die autem 21 mensis aprilis 1967, « Consilium Praesidentiae » eum nominavit Relatorem additum Coetus 17 « De anno liturgico », in adiutorium Rev.mi Mons. Marii Righetti, ob propectam aetatem impediti.

In IX sessione « Consilii », mense novembri celebrata, « Consilio » praesentavit ritus instauratos Hebdomadae sanctae, quos unanimi consensu et plausu Patres acceperunt.

Una cum dioecesi Basileensi proinde, merito exsultat « Consilium », videns unum e peritis, impigris et sollertibus suis Sodalibus, ad servitium episcopale evectum, in quo sane poterit eundem amorem sacrae liturgiae in operam pastoraalem traducere, quem studio et assidua consideratione enutrivit.

NONA SESSIO PLENARIA « CONSILII »

Mense novembri, nempe post celebratam Synodum Episcoporum, Praesidentia « Consilii » statuerat Sessionem IX plenariam haberi.

Reapse diebus 14-20 novembris 1967, in Civitate Vaticana, habitus est de more Coetus Relatorum; et diebus 21-28 novembris Sessio plenaria « Consilii ».

Aderant 38 ex 48 Patribus, nempe Em.mi DD. Cardinales Iacobus Lercaro, Paulus Giobbe, Carolus Confalonieri, Laureanus Rugambwa, Ioannes Patricius Cody, Michael Pellegrino, Benno Gut; Exc.mi DD. Dionysius Hurley (Durban), Gordonius Gray (Edimbourg), Guilford Young (Hobart), Tullius Botero Salazar (Medellín), Paulus Hallinan (Atlanta), Clemens Mansourati, Thomas Clavel Mendez (Panama), Henricus Jenny (Cambrai), Georgius Dwyer (Birmingham), Ferdinandus Antonelli, Carolus Rossi (Biella), Alexander Kovacs (Szombathely), Franciscus Jop (Opole), Ioannes Hervas y Benet (Ciudad Real), Franciscus Zauner (Linz), Ambrosius Lazik (Trnava), Albertus Martin (Nicolet), Gulielmus van Bakkun (Ruteng), Henricus Rau (Mar del Plata), Augustinus Lopez de Moura (Portalegre-Castelo Branco), Otto Spülbeck (Meissen), Renatus Boudon (Mende), Laurentius Nagae (Urawa), Alafrius Pichler (Banjaluka), Clemens Isnard (Nova Friburgo), Leo de Kesel (Gand), Ioannes Bluysen ('s-Hertgenbosch), Geraldus Carter (London, Canada), Hermannus Volk (Mainz), Aemilius Guano (Livorno), Franciscus Kérveadou (Saint Briec).

Sessionem participaverunt, etiam « Observatores » Communitatum Ecclesiarum non catholicarum, nempe: Prof. Raimundus George, Can. Ronaldus Jasper, Dr. Hamilton Shepherd Massey, Rev. Gulielmus Künne, Fr. Max Thurian.

Ordo agendorum sequentes quaestiones praevidebat:

1. De Confirmatione
2. De Officio divino (« Modi » Synodi et relationes)
3. De Missa (« Modi » Synodi)
4. De praefationibus
5. De Matrimonio

6. De Hebdomada sancta
7. De cantibus in Missa
8. De Consecratione Virginum

Initio sessionis, « Consilii » Praeses, nomine omnium IX Sessionem participantium, Beatissimo Patri Paulo VI, hanc epistolam misit:

Beatissime Pater,

Omnes qui huc convenerunt « Consilii » Sodales, ad IX Sessionis generalis labores explendos, primum suum reputant officium primumque gaudium Sanctitatem Tuam adire Illique piam filiorum devotionem exprimere.

Hoc imprimis, Pater Sancte, Tibi dicunt atque fatentur: se in laboribus suis proseguendis eo niti potissimum ut, littera et spiritu documentis Concilii Vaticani secundi inhaerentes, et quae tradita sunt religiose pertractent et quae hac nostra aetate actio pastoralis iure requirit attente percipiant, quo in sacra Liturgia instauranda utrumque, et traditionem et novitatem, apte componant.

« Consilii » Sodales atque Periti hoc insuper, Beatissime Pater, Tibi testari volunt, se, in hac Sessione, alacri atque aperta animorum dispositione, de his omnibus rationem esse habituros, quae Patres in Synodum nuper convocati tum de Liturgia in genere instauranda tum de singulis capitibus ipsis propositis dixerunt vel profundius examinanda petierunt. In omnibus Patrum textibus, sive eas referunt sententias quas in Aula Synodali protulerunt, sive quas scripto, praesertim vero per « Modos » suffragiis apposis, dederunt, ea omnia Sodales « Consilii » sollerter excerpere contendunt, quae et divini cultus dignitati et textuum sacrorum intelligentiae et actuosae atque consciae Populi Dei participationem melius pleniusque favere videbuntur.

« Consilii » Sodales, Periti atque Consiliarii dum fervida expriment vota pro Sanctitatis Tuae valetudine plene recuperanda, Dominum deprecantur ut Vicarium Suum in terris corroborari concedat atque vigeri, quo in Ecclesiae Suae reformatione multimode promovenda alacrius semper adlaborare possit « in nomine Domini ».

Die autem 24 novembris 1967 (Prot. n. 108031), Em.mus Card. H. I. Cicognani, a publicis Ecclesiae negotiis, responsionem, nomine Beatissimi Patris transmisit, laetanter manifestans commune obsequii testimonium tetigisse « animum Augusti Pontificis, qui quidem, ut labores Consilii vestri semper diligenti attentione prosecutus est, ita pariter ad Sessionem, quae modo initium cepit, sollicitum studium intendit. Idque eo libentius in praesens facit, quia hoc novum ac summi momenti munus nunc vobis concreditum est, ut scilicet sententias consideretis, quae in aula Synodi Episcoporum de re liturgica prolatae sunt, ac « modos » expendatis, qui Patrum suffragiis sunt appositi ».

Postquam in mentem revocavit criteria et normas prae oculis habenda ad liturgicam instaurationem perficiendam, Em.mus Cardinalis Secretarius Status concludit:

« Beatissimus Pater, dum gratias agit maximas de generosis vestris propositis ac de alacri sollertia, qua in opus iam incumbitis, vos certiores facit, Se vestris coetibus semper praesentem affuturum esse paterno affectu, aestimatione ac praesertim supplicibus precibus, quibus Omnipotentem Deum rogat, ut superna lumina et praesidia divite manu vobis dilargiatur.

Gratus etiam de votis, quae pro Ipsius valetudine humaniter fecistis, Vicarius Christi vobis singulis universis Apostolicam Benedictionem peramanter impertit ».

DE LABORIBUS SESSIONIS

1. Thema centrale fuit *examen* « *Modorum* » Synodi circa schemata Missae et Officii divini, de quibus in ipsa Synodo disceptatum fuit. Mens « Consilii » relate ad ea quae dicta et proposita sunt in Synodo et circa exitum suffragationum Augustae considerationi Summi Pontificis esibita postea fuit.

2. *De Matrimonio* (Coetus 22, Relator: P. P. M. Gy, OP; Secretarius: P. S. Mazzarello, S. P.). Schema est complementum illius quod iudicio Patrum submissum est mense aprili huius anni (Cf. *Notitiae*, n. 28-29, 1967, p. 145), et ab illis approbatum. Schema hac sessione examinatum agit *De ritu celebrandi Matrimonium sine Missa*. Sic totum schema de ritu Matrimonii quinque complectitur capita:

Caput I, Praenotanda de Sacramento Matrimonii

Caput II, De Ritualibus particularibus parandis et de aptationibus pro opportunitate faciendis.

Caput III, Ritus celebrandi Matrimonium intra Missam.

Capit IV, Ritus celebrandi Matrimonium sine Missa.

Caput V, Textus lectionum, orationum, praefationum, benedictionum, et psalmorum in ritu Matrimonii et in Missa pro Sponsis occurrentium.

Pro Matrimoniis cum parte non baptizata determinabuntur normae speciales necnon opportuna variationes in ipsis textibus liturgicis, cum doctrina ipsa circa Matrimonia mixta omnibus punctis absoluta erit.

Quo tutius in hac re procederet, Coetus petiit ut peritus theologus ipsi aggregaretur. Ad hoc munus Secretaria Status Summi Pontificis indicavit Exc.mum DD. Carolum Colombo, Episcopum tit. Vittorianum.

Pro capite V, cum res sit mixti generis et ad diversos Coetus « Consilii » pertineat, tractata est non solum ab omnibus sodalibus Coetus 22 et 23 sed ab aliquibus sodalibus diversorum Coetuum competentium: « de Missis votivis », « de lectionibus in Missa », « de orationibus et praefationibus ».

Sic de ritu Matrimonii *Ordo* completus existit, ita ut post omnes approbationes ad experimentum concedi possit.

3. *De praefationibus* (Coetus 18 bis, Relator: P. A. Dumas, OSB; Secretarius: Mons. I. Lucchesi).

Sessio VIII « Consilii », mense aprilis huius anni, iam approbaverat una cum novis precibus eucharisticis etiam novem praefationes ad experimentum ut haberentur textus apti praefationum, ab omnibus desideratis, pro temporibus et festis peculiaribus anni liturgici, quae praefatione propria carent. Experientia illius primi operis, Coetus ulterius processit et fere totum corpus praefationum in Missale romanum inserendarum apparavit (72 praefationes). Cum praefatio sit introductio ad Canonem eucharisticum per gratiarum actionem de aliquo facto vel de aspectu mysterii celebrati vel de tota historia salutis in genere, cautum est ut unumquodque tempus vel solemnitas vel festum suam habeat praefationem, sicut et Missae quae peculiaribus in adiunctis celebrantur, v. g. occasione Matrimonii, funeris, etc. Maior copia praefationum hunc etiam effectum consequetur, revera laudabilem, ut formularia Missarum novis tex-

tibus augeantur, qui in intima parte ipsius liturgiae eucharisticae expriment obiectum proprium et singulare gratiarum actionis; et insuper ut quandam monotoniam, ex frequenti repetitione textuum exortam, evitent: exempli gr., pro dominicis per annum, loco praefationis de sanctissima Trinitate, quae iuxta rubricas nunc vigentes per triginta et quattuor dominicas cantatur, octo praefationes ad libitum proponuntur.

Nova collectio servat omnes formulas Missalis actualis, quae tamen aliquando sobrie corriguntur vel emendantur, ita ut perfecte respondeant indoli propriae praefationis et sint vera gratiarum actio et non textus deprecatorius, historicus aut catecheticus. Ita, v. g. levis correctio praeambuli convertit praefationes de Apostolis et Missae chrismatis, quae erant deprecatoriae, in praefationes vere eucharisticas.

Quaedam formularia e ditissimo thesauro euchologico traditionis deprompta sunt, quaedam autem ex novo confecta sunt, secundum stylum euchologiae romanae.

Adhuc parandae remanent quaedam praefationes pro aliquibus festis, pro Communi Sanctorum, pro Missis votivis, etc.

4. *De Confirmatione* (Coetus 20, Relator: P. B. Botte, OSB; Secretarius: Prof. B. Kleinheyer).

Est primum schema « Consilio » propositum circa sacramentum Confirmationis. Tantum quaestiones praeliminare et structura generalis ritus pertractatae sunt, prae oculis habendo et praeceptum Constitutionis Conciliaris mandans ut Confirmatio in toto contextu initiationis christianae consideretur, et nimiam brevitatem hodierni ritus qui indiget ampliori parte praeparatoria et conclusiva, et rationes pastorales, praesertim e numero, saepe pergrandi, confirmandorum derivantes. Quaestio quoque de officio et de persona patrinorum agitata est. Schema ritus praevidet casus celebrationis intra Missam et sine Missa. Semper tamen ritus praepararetur oportet cum liturgia verbi.

Ritus Confirmationis incipit cum praesentatione candidatorum, quam sequitur renovatio promissionum baptismalium, formulis ad captum recipientium accommodatis, deinde invitatorium ad orationem, pars centralis ritus sacramentalis cum unctione et deinde elementa conclusiva, quae diversa sunt, prout sacramentum intra Missam aut extra Missam confertur.

5. *De Hebdomada sancta* (Coetus 17, Relator: Prof. A. Hänggi; Secretarius: P. F. Vandenbroucke, OSB).

Lineamenta pro revisione rituum Hebdomadae sanctae, quae est cor anni liturgici, prima vice praesentata sunt Patribus. Coetus autem plures iam habuerat sessiones et octo confecerat schemata particularia, et aliquam inquisitionem («enquête») promoverat penes ingentem numerum pastorum omnium partium mundi. Horum votum sat generale est ut ritus Hebdomadae sanctae simpliciores, breviores et magis perspicui reddantur et Vigilia paschalis melius tamquam centrum et culmen totius anni liturgici appareat. Haec omnia componi debent, praesertim in his ritibus sollemnioribus totius anni liturgici, cum principio de sana traditione servanda. Schema proinde necessitates pastorales hodiernas considerat, sed variationes proponit quae fundantur in accurata investigatione theologica et historica ac in experientia recentioris instaurationis Hebdomadae sanctae.

Schema proposuit Patribus totum complexum revisionis peragenda sive relate ad quaestiones generaliores, ut de vestibus liturgicis, de sonu organi et campanarum, de velatione crucis et imaginum, de titulis et de hora celebrationis, sive problemata et suggestiones facta pro singulis ritibus, praesertim pro dominica palmarum et pro feriis V, VI et pro Vigilia paschali.

Post responsiones et animadversiones Patrum schema emendabitur, et cum omnibus textibus praesentabitur examini Sessionis X, mense aprili proximo.

6. *De Officio divino* (Coetus 9, Relator: Mons. A. G. Martimort; Secretarius: P. V. Raffa, FDP).

1) Structura generalis Officii divini iam approbata fuit a Patribus (cf. *Notitiae*, n. 28-29, 1967, p. 141-143), et iudicio Conferentiarum Episcopalium et Synodi Episcoporum proposita fuit. Tantum de quibusdam elementis particularibus actum est, nempe de criterio adhibito in psalmis dividendis et distribuendis, de antiphonis et responsoriis, de versiculis, de oratione dominica, de cantibus Officii divini, de oratione dominica et alia huiusmodi.

Ut Patres maiori cum cognitione iudicium ferre possent, rursus confectum est specimen Officii divini pro duabus hebdomadibus.

2) Peculiari ratione, et quidem prima vice, examinatus est labor novi Coetus 12 bis «de precibus in Laudibus et Vesperis», mense maio elapso constituti (Relator: P. V. Raffa). Indoles harum

precum in breviario inserendarum, non est paenitentialis, uti sunt actuales preces Breviarii. Hae preces pertinent ad structuram Laudum et Vesperarum et proinde semper habebuntur. Ad Laudes finis precum est praesertim exprimere sensus, intentiones, proposita, motiva quae specificè connectuntur cum hora matutina, nempe gratiarum actionem pro nocte transacta ac pro elargitione diei a Deo facta, petitionem auxilii divini, sapientiae et prudentiae in agendo, commendationem diei et laboris, etc.

Preces vespertinae, e contra, indolem habent supplicationis universalis ad instar orationis fidelium in Missa.

Ad orationem vividius alendam et ut preces inseri possint in omnibus necessitatibus mundi nostrorum dierum, parata sunt schemata precum secundum duplicem typum et dispertiuntur in cyclo unius hebdomadae pro Laudibus et quattuor hebdomadarum pro Vesperis.

3) Duae aliae quaestiones pertractatae sunt:

a) *De unione organica Officii cum Missa.* Saepe fit ut quaedam Hora Officii divini in choro vel in communi celebrata immediate Missam praecedat vel sequatur. Principia generalia delineata sunt circa modum uniendi organice unam alteramve celebrationem, ne repetitiones habeantur, attentis tamen necessitatibus fidelium, qui tantum Missam participare forte desiderant, praesertim diebus dominicis.

b) *De commutationibus Officii divini.* Criteria a « Consilio » examinata pro parte liturgica, communicabuntur ceteris Dicasteriis quorum res interest, ut communi consensu res Summo Pontifici proponatur.

7. *De cantibus Missae* (Coetus 25, Relator: P. E. Cardine, OSB; Secretarius: D. A. Agustoni).

Est simplex relatio de labore peracto et peragendo a Coetu 25 ad novos textus liturgicos modis musicis ornandos et ad revisionem complendam Gradualis romani.

8. *De Consecratione Virginum* (Coetus 20 bis, Relator: P. A. Dirks, OP; Secretarius: P. I. Calabuig, OSM).

Hoc Schemate primus gressus factus est ut Constitutionis liturgicae mandato obtemperaretur: « Ritus Consecrationis Virginum, qui in Pontificali romano habetur, recognitioni subiciatur » (art. 80).

Schema exponit principia quibus Coetus 20 bis ritum de Consecratione Virginum recognovit; prabet structuram generalem ritus; agit de subiecto consecrationis; de ministro; de nexu inter professionem religiosam et consecrationem virginalem; de Consecratione Virginum et legibus clausurae; denique rubricas et textus exhibet ex antiquo romanae Liturgiae thesauro depromptos vel noviter confectos.

Coetus Relatorum Schema commendavit ac in pluribus ad meliorem formam adduxit.

« Consilii » Patres studia hucusque peracta suis sententiis confirmarunt vel novas et perutiles animadversiones in ritum proposuerunt. Schema cum aliis ritibus professionem religiosam respicientibus concinne et apte nunc ordinandum est.

Die 28 novembris communis labor ad finem pervenit. Em.mus Card. Iacobus Lercaro, « Consilii » Praeses, Sessionem concludens his usus est verbis:

« En, alia sessio “ Consilii ” absolvitur. Deo gratias agimus quod opus nobis commissum reformationis sacrae liturgiae gressus aliquot neque breves neque paucos his diebus fecerit.

Iter longum adhuc manet peragendum, sed saltem pro principioribus actibus liturgicis iam iam adumbratus exitus conspici potest.

Vestrum in sacram Liturgiam studium, Vestrum amorem, Vestris animadversionibus et relationibus ostendistis, laudabili libertate necnon pari charitate propositas quaestiones disceptantes.

Gratias vobis agimus, dum omnia bona a Deo Vobis adprecamur, votaue pandimus. Mense aprili, Deo favente adhuc conveniemus ut quamprimum legitimae Ecclesiae expectationi provideamus.

Studio nostro et laboribus faveat Deus ».

SUMMARIUM DECRETORUM
QUIBUS DELIBERATIONES COETUUM
EPISCOPORUM CONFIRMANTUR

(a die 16 oct. ad diem 15 dec. 1967)

EUROPA

Austria

Decreta generalia: 30 nov. 1967 (Prot. n. A 592/67): confirmatur interpretatio germanica orationum Missae « pro Patria ».

Decreta particularia: *Sideropolitanae* (30 nov. 1967, Prot. n. A 594/67): confirmatur interpretatio lingua croatica precum ad pedem altaris dicendarum, salutationis « Orate, fratres » cum sua responsione et Canonis Missae.

Cecoslovachia

Decreta generalia: 23 nov. 1967 (Prot. n. A 572/67 et 573/67): usus linguae vernaculae in ritu sacrarum Ordinationum conceditur, interpretatione lingua slovacha adhibita a Conferentia Episcopali proposita. Confirmatur textus lingua slovacha ritus benedicendi ecclesiam partialiter renovatam; Vesperarum pro dominicis, et textus Sacrae Scripturae qui exstat in libris: *Starý zákon*, vyd. SSV 1955 et *Nový zákon*, vyd. SSV 1949 et 1952.

Gallia

Decreta generalia: 30 nov. 1967 (Prot. n. A 614/67): confirmatur textus gallicus responsoriorum: « Subvenite », « In paradisum », « Credo quod redemptor », « Qui Lazarum », et « Libera me, Domine ».

Decreta particularia:

Aniciensis (11 nov. 1967, Prot. n. A 561/67): confirmatur interpretatio gallica Missarum propriarum.

Baionensis (20 oct. 1967, Prot. n. A 501/67; 14 nov. 1967, Prot. n. A 565/67): confirmatur interpretatio vasconica Missarum votivarum, Missae pro sponsis et sacramenti Matrimonii.

Tuletensis (21 nov. 1967, Prot. n. A 568/67): confirmatur interpretatio gallica Missarum et Officiorum propriorum.

Germania

Decreta generalia: 8 nov. 1967 (Prot. n. A 554/67): Confirmatur textus salutationis angelicae cum Conferentiis Episcopalibus Austriae et Helvetiae concordatus. Ad normam art. 32 Instructionis *Muscam sacram* confirmatur decretum Conferentiae Episcopalis quo usus servatur ut cantus religiosi populares qui inveniuntur in cantualibus dioecesanis et in eorum adnexis vel qui « Imprimatur » ecclesiastico praediti sunt vel qui a Sacra Scriptura verbotenus desumpti sunt in celebratione Missae adhiberi valeant. Pariter ad normam art. 55 eiusdem Instructionis, ut thesaurus traditus hymnorum et cantuum ad Ordinarium Missae spectans servetur, approbatur ut eorundem hymnorum et cantuum « textus vulgares cum modis musicis connexi... licet in omnibus cum interpretationibus textuum liturgicorum legitime probatis non concordent ».

Hispania

Decreta particularia: *Provinciae Tarraconensis* (14 dec. 1967 Prot. n. A. 609/67): confirmatur interpretatio catalaunica ritus sacrarum Ordinationum.

Italia

Decreta particularia: confirmatur interpretatio italica Missarum propriarum Diocesum:

Anconitanae et Numanensis (21 nov. 1967, Prot. n. A 548/67).

Aquinatensis, Soranae et Pontiscurvi (26 oct. 1967, Prot. n. A 464/67).

Calatanisiadensis (27 oct. 1967, Prot. n. A 526/67).

Neapolitanae (9 nov. 1967, Prot. n. A 537/67).

Potentinae et Marsicensis (9 nov. 1967, Prot. n. A 558/67).

Theatinae (20 oct. 1967, Prot. n. A 540/67).

Iugoslavia

Decreta generalia: 14 nov. 1967 (Prot. n. A 564/67): confirmatur interpretatio croatica Missalis: *Misal za sve dane u godini* (Makarska 1967).

Lettonia

Decreta generalia: 8 nov. 1967 (Prot. n. A 553/67): confirmatur textus Proprii Missarum pro dominicis et diebus festis a Conferentia Episcopali propositus.

Polonia

Decreta generalia: 9 dec. 1967 (Prot. n. A 610/67): confirmatur interpretatio polona Missalis romani.

Suecia

Decreta generalia: 4 nov. 1967 (Prot. n. A 546/67): confirmatur interpretatio suecia textus formae sacramenti Paenitentiae.

ASIA

Birmania

Decreta particularia: *Kentunghensis* (27 oct. 1967, Prot. n. A 543/67): confirmatur interpretatio linguis lahu, ahka et khûn Ordinarii Missae.

India

Decreta generalia: 7 nov. 1967 (Prot. n. A 549/67), 23 nov. 1967 (Prot. n. A 575/67): confirmatur interpretatio lingua punjabi Ordinarii Missae, et interpretatio lingua kannada quorundam textuum Missalis romani.

Decreta particularia:

Ahmedabadensis et Barodensis (4 nov. 1967, Prot. n. A 547/67): confirmatur textus lingua gujarati Benedictionis eucharisticae.

Mangalorensis (5 dec. 1967, Prot. n. A 605/67): confirmatur interpretatio lingua konkani textus sacrarum Ordinationum.

Iaponia

Decreta generalia: 24 nov. 1967 (Prot. n. A 574/67): confirmatur interpretatio iaponica lectionarii et orationum pro dominicis et diebus festis.

Philippinae Insulae

Decreta generalia: 11 nov. 1967 (Prot. n. A 559/67), 20 oct. 1967 (Prot. n. A 539/67): confirmatur textus ritus benedictionis domi qui habetur in libello: *Blessing of a home*; et confirmatur interpretatio lingua Cebuano missalis romani.

Thailandia

Decreta generalia: 25 nov. 1967 (Prot. n. A 580/67): confirmatur interpretatio popularis quorundam festorum Missalis romani.

AFRICA**Africa Occidentalis**

Decreta particularia: *Bathurstensis in Gambia*: (14 dec. 1967, Prot. n. A 613/67); confirmatur interpretatio lingua fula Ordinationarii et Canonis Missae.

Africa Meridionalis

Decreta generalia: 28 nov. 1967 (Prot. n. A 591/67): confirmatur interpretatio lingua afrikaans ritus sacrarum Ordinationum.

Malawi

Decreta generalia: 5 oct. 1967 (Prot. n. A 499/67): confirmatur interpretatio lingua nyanja praefationum et Ordinarii Missae.

Zambia

Decreta generalia: 18 oct. 1967 (Prot. n. A 500/57): confirmatur interpretatio lingua bemba Ordinarii et Canonis Missae, Proprii Sanctorum a die 30 iunii et diem 8 septembris, aliquorum festorum de Tempore et Missae votivae de Spiritu Sancto.

Uganda

Decreta particularia: *Guluensis* (30 nov. 1967, Prot. n. A 595/67): confirmatur interpretatio lingua lwo Canonis Missae et textus Missarum qui habentur in *Missali Missal i leb Lwo* (Gulu 1967).

AMERICA

Canada

Decreta generalia: 25 nov. 1967 (Prot. n. A 579/67): confirmatur interpretatio gallica secundi libri Pontificalis romani. Conceditur ut sequentia *Dies irae* semper ad libitum sacerdotis relinquatur.

Dominicana Respublica

Decreta generalia: 2 dec. 1967 (Prot. n. A 439/67): confirmatur interpretatio hispanica Canonis Missae, Lectionarii et Psalterii a Commissione mixta pro regionibus linguae hispanicae appata.

Salvatoriana Respublica

Decreta generalia: 5 dec. 1967 (Prot. n. A 444/67): confirmatur interpretatio hispanica Canonis Missae et Sacrae Scripturae editae a NACAR COLUNGA, ed. B. A. C.

OCEANIA

Nova Guinea

Decreta generalia: 1 dec. 1967 (Prot. n. A 569/67): confirmatur interpretatio lingua huli Ordinarii Missae et Baptismi parvulorum, et interpretatio lingua wola ritus Baptismi parvulorum.

Oceania Meridionalis

Decreta particularia: *Tonganae* (9 nov. 1967, Prot. n. A 556/67): confirmatur interpretatio lingua tonga ritus Baptismi, Paenitentiae et textus praefationis communis, de SS.ma Trinitate, de Nativitate et de Epiphania Domini.

DECRETA QUIBUS CONFIRMANTUR
INTERPRETATIONES POPULARES
CANONIS ROMANI

Plures Conferentiae Episcopales his ultimis temporibus confirmationem habuerunt textus popularis Canonis Romani ab ipsis statuti. De his una simul nuntium damus. Pro regionibus quae eadem utuntur lingua, una tantum interpretatio confirmata est, ea nempe quae a Commissionem mixta apparta est.

Austria, 25 nov. 1967 (Prot. n. A 583/67), confirmatur interpretatio lingua germanica.

Gallia, 6 nov. 1967 (Prot. n. A 550/67): confirmatur interpretatio lingua gallica.

Baionensis in Gallia, 7 nov. 1967 (Prot. n. A 551/67): confirmatur interpretatio lingua vasconica.

Germania, 14 nov. 1967 (Prot. n. A 566/67), confirmatur interpretatio lingua germanica.

Hispania, 25 nov. 1967 (Prot. n. A 582), confirmatur interpretatio lingua hispanica.

- Hungaria**, 22 nov. 1967 (Prot. n. A 571/67): confirmatur interpretatio lingua hungarica.
- Lettonia**, 8 nov. 1967 (Prot. n. A 553/67): confirmatur textus popularis qui habetur in *Romas Mīšāle svētdienām un ievērojāmākām svētku dienām*.
- Luxemburgum**, 21 nov. 1967 (Prot. n. A 567/67), confirmantur interpretationes linguis gallica et germanica.
- Misnensis**, 24 nov. 1967 (Prot. n. A 578/67), confirmatur interpretatio lingua sorabica.
- Norvegia**, 5 dec. 1967 (Prot. n. A 604/67), confirmatur interpretatio lingua norvega.
- India**, 5 dec. 1967 (Prot. n. A 602/67), confirmatur interpretatio lingua santhali.
- Centroafrica**, 14 dec. 1967 (Prot. n. A 616/67), confirmatur interpretatio lingua sango.
- Ciadia**, 14 dec. 1967 (Prot. n. A 615/67), confirmatur interpretatio lingua gallica.
- Malia**, 5 dec. 1967 (Prot. n. A 606/67), confirmatur interpretatio lingua gallica.
- Volta Superior et Niger**, 5 dec. 1967 (Prot. n. A 596/67), confirmatur interpretatio gallica.
- Chilia**, 30 nov. 1967 (Prot. n. A 589/67), confirmatur interpretatio lingua hispanica.
- Cuba**, 5 dec. 1967 (Prot. n. A 589/67), confirmatur interpretatio lingua hispanica.
- Dominicana Respublica**, 2 dec. 1967 (Prot. n. A 439/67), confirmatur interpretatio lingua hispanica.
- Mexicum**, 4 dec. 1967 (Prot. n. A 603/67), confirmatur interpretatio lingua hispanica.
- Paraquaria**, 30 nov. 1967 (Prot. n. A 586/67), confirmatur interpretatio lingua hispanica.
- Portusricus**, 5 dec. 1967 (Prot. n. 587/67) confirmatur interpretatio lingua hispanica.
- Uruquaria**, 30 nov. 1967 (Prot. n. A 590/67), confirmatur interpretatio lingua hispanica.

SUMMARIUM DECRETORUM
QUIBUS CONFIRMANTUR INTERPRETATIONES
POPULARES PROPRIORUM RELIGIOSORUM

(a die 15 oct. ad diem 15 dic. 1967)

Ordo Cisterciensium Reformatorum, 31 oct. 1967 (Prot. n. A 544/67): confirmatur textus gallicus peculiarium lectionum pro Officio B. Mariae Virginis in Sabbato.

Ordo Fratrum Praedicatorum, 16 oct. 1967 (Prot. n. A 533/67): confirmatur textus gallicus lectionum propriarum Officii divini qui a Sororibus dominicanis Missionariis « de champagnes » apparatus est; pro aliis textibus Officii divini interpretatio quae habetur in « Traduction du Bréviaire éditée par les Congrégations Dominicaines au Monastère de la Croix ».

Ordo Minimorum, 5 dec. 1967 (Prot. n. A 607/67): confirmatur interpretatio italica Missarum propriarum.

Ordo SS. mae Trinitatis, 24 oct. 1967 (Prot. n. A 542/67): confirmatur interpretatio anglica Missarum propriarum.

Societas S. Francisci Salesii, 11 nov. 1967 (Prot. n. A 562/67): confirmatur interpretatio italica Benedictionis personae in honorem et cum invocatione B.M.V sub titulo Auxilium christianorum.

Congregatio Missionariorum Oblatorum, 12 dec. 1967 (Prot. n. A 608/67) confirmatur interpretatio gallica anglica, italica, hispanica et germanica Missae B.M. Virginis de Misericordia.

Institutum Fratrum Scholarum Christianarum, 5 nov. 1967 (Prot. n. A 545/67): Confirmatur interpretatio italica Missae S. Benildi.

Congregatio Iesu et Mariae, 8 sept. 1967 (Prot. n. A 470/67): confirmatur interpretatio anglica, gallica, hispanica et italica Missarum propriarum.

Congregatio v. « de Notre-Dame de la Charité du Bon Pasteur d'Angers », 12 sept. 1967 (Prot. n. A 493/67): confirmatur interpretatio anglica, gallica, italica et hispanica Missarum propriarum.

DECRETA QUIBUS ORDO LECTIONUM PER FERIAS CONCEDITUR

ORDO « CONSILII »

Lusitania, 18 oct. 1967 (Prot. n. 2929/67).

Iaponia, 24 nov. 1967 (Prot. n. A 584/67).

DECRETA PARTICULARIA

Africa Meridionalis, Lectionarium pro Missis puerorum et puellarum, 15 sept. 1967 (Prot. n. A 507/67).

Australia, Lectionarium pro Missis puerorum et puellarum, 27 sept. 1967 (Prot. n. A 522/67).

De variis Ordinibus edita sunt:

Hispania

Lectura continuada. III. *Pascua*, Barcelona, E.L.E., 1967, pp. 159-228; IV. «*Per annum*», pp. 231-546 (Cfr. *Notitiae*, n. 27, 1967, p. 112).

Leccionario Ferial. Pascua-Ascension (Primer año). Madrid, Biblioteca de Autores Cristianos, 1967, pp. 68 (cfr. *Notitiae*, n. 25, 1967, p. 14).

Leccionario de Difuntos, Barcelona, E.L.E., 1967, pp. 42.

Ceylon

The alternative lectionary. Ceylon catechetical Service, Trincomalee 1966. 18,5 × 12 cm., pp. 56.

Canada

Lectionnaire pour les jours de semaine. Ottawa, Service des éditions liturgiques, 1967. In-8°, pp. 594.

Germania

Perikopenbuch. Band I. *Vom crstem Adventsontag bis zum Samstag nach dem erstem Passionssonntag*, p. 262. Band II. *Von Ostern bis zum Dreifaltigkeitsfest*, p. 98. Band III. *Vom Dreifaltigkeitsfest bis zum Samstag nach dem letzten Sonntag nach Pfingsten*, p. 520. Leipzig, St Benno-Verlag, 1966 (altera editio: Herder, Benziger, St Peter Salzburg).

- Belgium**, Lectionarium pro Missis defunctorum, 2 dec. 1967 (Prot. n. A 593/67).
Gallia, Lectionarium pro Missis defunctorum, 30 nov. 1967 (Prot. n. A 614/67).
Helvetia, Lectionarium pro celebratione matrimonii et Missis defunctorum, 21 dec. 1967 (Prot. n. A 624/67).
Ordo Servorum Mariae, Lectionarium pro Missis votivis in honorem B. Mariae Virginis, 16 dec. 1967 (Prot. n. A 622/67).
Congregatio clericorum reg. S. Pauli, Barnabitarum, Lectionarium pro Missis votivis in honorem B. Mariae Virginis, 16 sept. 1967 (Prot. n. A 508/67).
Congregatio Missionariorum SS. Cordium Iesu et Mariae (Mallorca): Lectionarium pro Missis votivis de SS. Corde Iesu et de B. M. Virgine, 14 dec. 1967 (Prot. n. A 611/67).

ADUNATIONES COETUM A STUDIIS

(septembri 1967-februario 1968)

- 3-8 sept. 1967, Friburgi Helvetiorum: Coetus 17 « de ritibus peculiaribus in anno liturgico ». Relator: Prof. A. Hänggi.
